

Tale illud etiam est, quod Victorius confutat, nempe S. Hieronymum putasse necessariam esse in sacerdotibus rectam vitam, ut vel absolvant, vel eucharistiam conficiant. Contra enim num. præsertim 5 luculenter constituit, ut si alibi contrarium videatur asserere, ideo faciat, ne dum de sola sibi sacerdotibus potestate oblandiuntur, rectam vivendi deserant normam, et quod potestate construunt, exemplo destruant.

De anno quo opus istud elucubravit non satis convenit inter eruditos. Illud nempe aliquos movet, quod in Chronico Luciferum multa cum laude memoret, neque sit vero simile ejus celebrari constantiam ac fidem, cujus sententiam, imo errorem edito libro impugnat, nisi si liber iste, in quo male audit, illo in quo bene, posterior sit. Quamobrem cum anno 380 Chronicon fuisse conscriptum constet, Dialogum hunc post eam temporis notationem differri volunt. Sed nihil esse hujusmodi argumentum videas, si illa ipsa recte expendere testimonia, et multa esse scias, quæ in Lucifero Hieronymus suspiciebat: nec proprie ipsum episcopum, sed ejus assecras, qui ejus nomine ad erroris patrocinium abutebantur, impugnari. Nam et hoc ipso in libro bene audit Lucifer, ut illis verbis, *Cogor de beato Lucifero secus quidquam, quam et illius meritum, et mea humanitas poscit, existimare.* Ex serie autem et loco, quo in Catalogo ab ipso Hieronymo censetur hic liber, et Chronico proxime præcedere eum liquet, sive annum 380 antevertere, et relictæ solitudinis epocham, sive ann. 379, ut in chronologicis Epistolarum argumentis notatum est, superare. Facile igitur ipso anno 379, quo e Chalcidis eremo fugiens, Antiochiæ substitit, librum exaravit, nam et Antiochiæ Luciferianus atque Orthodoxus altercati sunt, et proxime ab illa altercatione scribere se Hieronymus profitetur.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

DIALOGUS¹ CONTRA LUCIFERIANOS.

171 1. Proxime accidit², ut (Al. quod) quidam Luciferi sectator, cum alio Ecclesiæ alumno odiosa loquacitate contendens, caninam facundiam exercuerit (mss. exercuit). Asserebat quippe universum mundum esse diaboli, et ut jam familiare est eis dicere, factum de Ecclesia lupanar. At ille e contrario, rationabiliter quidem, sed importuno et loco et tempore, defendebat, non sine causa Christum mortuum fuisse, nec ob Sardorum tantum mastrucam³ Dei Filium descendisse. Quid plura? dum audientiam et circulum lumina⁴ jam in plateis accensa solverent, et inconditam disputationem nox interrumpere, consputa pene invicem facie, recesserunt. Hoc tamen his qui affuerunt statuentibus, ut in secretam porticum primo mane conveniretur: quo cum juxta placitum omnes convenissent, visum est utriusque sermonem a nota-

riis excipi.

2. De hæretico loquendum ut de gentili. — Atque

¹ Edd. Martian. et Vallars. habent: *Incipit Altercatio Luciferiani et Orthodoxi, a S. Hieronymo scripta.* EDIT.—Vetus codex ms. Sorbonæ sequentem retinet epigraphen: *Incipit Epla Hieronymi presbyteri adversus Luciferianos*; deinde hunc contextum: « Proxime accessit Luciferianus hæresis sectator, cum aliquo Ecclesiæ alumno odiosa loquacitate contendens, » etc. MARTIAN.

² Cluniacensis codex, *Proxime accidit, quod quidam Luciferi sectator cum alio Ecclesiæ alumno,* etc. MARTIAN.

³ Notatum Lexicographis nomen. Theodorus *Mastruca vestis Sarda* (Al. *Mastruga*). Prudentius:

ita cunctis residentibus, HELLADIUS LUCIFERIANUS dixit: Hoc primum mihi responderi volo, utrum Ariani Christiani sint, an non? ORTHODOXUS⁵. Ego plus, inquit, interrogo, utrumne omnes hæretici Christiani sint? L. dixit, Quem hæreticum dixeris, Christianum negasti. O. dixit, Omnes ergo hæreticos Christiani non sunt? L. Jam superius audisti. O. Si Christi non sunt, diaboli sunt. L. Nemo dubitat. O. Si autem diaboli sunt, 172 nihil refert hæretici sint, an gentiles. L. Non refello. O. Igitur fixum inter nos habemus, de hæretico sic loquendum, sicut de gentili. L. Plane fixum. O. Quære nunc ut libet, quoniam inter nos constat, hæreticos gentiles esse. L. Quod interrogatio mea cogere volebat expressum est, hæreticos Christianos non esse. Nunc restat conclusio. Si Ariani hæretici sunt, et hæretici omnes gentiles sunt, et Ariani gentiles sunt. Si autem Ariani gentiles sunt et constat nullam societatem Ecclesiæ esse cum

Solvere Mastrucis proceres, vestire Togatos.

Apposite vero in primis Quintilianus lib. II, cap. 10: *Mastrugam, quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit.* Paulinus quoque Macario *inops habitus, et Mastruga Sardorum.* — Mss. codices legunt *Mastrugam*. Erat mastruca vestimentum ex pellibus, sive ferina vestis male olens, qua Sardi utebantur. MARTIAN.

⁴ In aliquot libris *dum audientium circulum lumina,* etc.

⁵ Vetus editio Hieronymum ipsum sub Orthodoxi persona loquentem inducit. *Orthodoxus Hieronymus. ego,* etc.

Arianis, id est, cum gentilibus, manifestum est vestram Ecclesiam quæ ab Arianis, id est, a gentilibus, episcopos suscipit, non tam episcopo recipere, quam de Capitolio sacerdotes: ac per hoc Antichristi magis synagoga, quam Christi Ecclesia debeat nuncupari.

3. *Eucharistia.* — O. Ecce impleta est propheta: Paravit mihi foveam, et ipse incidit in eam. L. Quonam modo? O. Si Ariani, ut dicis, gentiles sunt, et Arianorum conventicula castra sunt diaboli, quomodo in castris diaboli baptizatum recipis? L. Recipio, sed pœnitentem. O. Prorsus quid dicas, non intelligis. Quisquamne gentilem recipit, pœnitentem? L. Ego simpliciter in exordio sermonis omnes hæreticos gentiles esse respondi. Verum quia captiosa interrogatio fuit, primæ quæstionis tibi palmam tradens, 173 ad secundam veniam in qua aio laicum ab Arianis venientem recipi debere pœnitentem, clericum vero non debere. O. Atqui in prima quæstione quam obtinuisse me dicis, etiam secundam obtinui. L. Doce quomodo obtinueris. O. Nescis et laicos et clericos unum habere Christum, nec alium neophytis, alium episcopis esse Deum? Cur ergo non recipiat clericos, qui recipit laicos pœnitentes? L. Non est ipsum lacrymas fundere¹ pro peccatis, et corpus attrectare Domini; non est ipsum ad fratrum genua provolvi, et de sublimi loco Eucharistiam ministrare populo. Aliud est lugere quod fueris, aliud neglecto peccato, in Ecclesia vivere gloriosum. Tu qui hesterno die sacrilegus creaturam Dei Filium prædicabas; qui quotidie pejor Judæis, blasphemiarum lapides in Christum jaciebas, cujus manus sanguine plene sunt, cujus stylus lancea militis fuit, ad unius horæ conversionem virginem Ecclesiam adulter ingredieris? Si peccasse te pœnitent officium depone sacerdotis: si te peccasse confidis, permane quod fuisti.

4. O. Rhetoricaris; et a disputationum spinetis ad campos liberæ declamationis excurris. Verum desine, quæso, a communibus locis, et in gradum rursum ac lineas regredere: postea si placuerit, latius disseremus. L. Nulla declamatio hic est. Dolor patientiam superat; propone ut libet, argumentare ut libet, nunquam persuadebis id esse episcopum, quod laicum pœnitentem². O. Quo-

¹ Non est ipsum lacrymas fundere. Superflue hic in editis Erasmi et Mariani additum est nomen *episcopi*, quod non legunt exemplaria vetera. Ex hoc porro loco apertissime comprobatur fides Catholica, qua credimus verum Christi corpus existere in Eucharistia, et manibus sacerdotum attrectari; e sublimi loco Eucharistia, quoque populo ministratam discimus. MARTIAN.

² Gravius sic legi jubet, *id esse episcopum confitentem, quod laicum pœnitentem*, idque rectius, ut videtur.

³ In Veteri edit., *Recipio et ego episcopum*.

⁴ Certa quadam acceptione plebi quoque commune fuisse olim, primis nempe Christianismi temporibus, *sacerdotii* nomen, erudite notatum est, ex illo I Petri II, 9: βασιλειον ιερειουμα regale sacerdotium, quod statim adducitur; nam locum

nam obstinate tenes, aliam esse rationem episcopi, aliam laici, ad compendium concertationis, tribuo quod postulas: nec me pigebit locum te faciente, manum tecum conserere. Expone mihi, quare laicum venientem ab Arianis recipias, episcopum non recipias? L. Recipio laicum, qui errasse se confitetur; et Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem. O. Recipe ergo et episcopum³, qui et errasse se confitetur, et Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem. L. Si errasse se confitetur, 174 cur episcopus perseverat? deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti. O. Respondebo tibi et ego sermonibus tuis. Si laicus errasse se confitetur, quomodo laicus perseverat? deponat sacerdotium laici⁴, id est, baptisma, et ego do veniam pœnitenti. Scriptum est enim: *Regnum quoque nos et sacerdotes Deo Patri suo fecit*⁵ (Apoc. I, 6). Et iterum *[Gentem sanctam, regale sacerdotium, populum acquisitum (I Petr. II, 9). Omne quod non licet Christiano⁶, commune est tam episcopo quam laico. Qui pœnitentiam agit, priora condemnat [Al. contemnat]. Si non licet episcopo pœnitenti perseverare quod fuerat, non licet et laico⁷ pœnitenti permanere in eo propter quod pœnitentiam confitetur⁸. L. Recipimus laicos, quoniam nemo convertetur, si se scierit rebaptizandum: et ita fiet, ut nos simus causa perditionis eorum si repudientur. O. Tu in eo quod recipis laicum, unam animam recipiendo salvas: et ego in recipiendo episcopum, non dicam unius civitatis populos, sed universam, cui præest, provinciam Ecclesiæ socio, quem si repellam, multos secum in ruinam trahet. Quamobrem quæso vos ut eam rationem, quam in paucis recipiendis habere vos existimatis, etiam ad totius orbis salutem concedatis. Quod si displicet, et tam duri estis, imo tam irrationabiliter inclementes, ut eum qui dederit baptisma hostem Christi, eum qui acceperit filium putetis; nos nobis adversa non facimus: aut episcopum cum populo recipimus, quem facit Christianum: aut si episcopum non recipimus, scimus etiam nobis populum rejiciendum.*

5. *Episcopus condimentum suæ Ecclesiæ. Fletus Ecclesiæ pro pœnitentibus. Liber duodecim Prophetarum. Oculus Ecclesiæ episcopus.* — L. Oro te, nonne⁹ legisti de episcopis dictum: *Vos estis sal*

domiserat Martianæus, quod in suis mss. non invenisset.

⁶ *Deo Patri suo fecit.* Addunt editi libri: *Et iterum, gentem sanctam, regale sacerdotium, populum acquisitum.* Id non legunt mss. nostri codices.

MARTIAN.

⁷ Negandi particulam expressit antiqua editio.

⁸ *Non licet et laico etc.* ms. Sorbonicus, *non licet et laico pœnitenti permanere, propter quod pœnitentiam confitetur.* Cluniacensis similiter legit, excepto *liceat*, habet enim *licet*. MARTIAN.

⁹ Voculas *in eo* in duobus mss. desiderari Martian. notat. Gravius ita locum refixit, *Non liceat et laico pœnitenti permanere quod erat, qui propter pœnitentiam confitetur.*

¹⁰ Vetus edit., *Oro te nomine Christi, non loqui, etc.*

terre. Si autem sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad nihilum est utile, nisi ut projiciatur foras et conculcetur ab hominibus (Matth. v, 43). Sed et illud, quod pro populo peccatore sacerdos Deum exoret, ac pro sacerdote nullus sit alius, qui deprecetur (Levit. ix). Quæ quidem duo Scripturarum capitula in sententiam concurrunt unam. Nam ut sal omnem cibum condit, nec est aliquid per se tam suave, quod absque 175 eo gustum demulceat: ita mundi totius et propriæ Ecclesiæ condimentum episcopus est, qui si infatuatus fuerit, sive per negationem, sive per hæresim, sive per libidinem, et ut semel dicam, per universa peccata a quo alio poterit condiri, cum ipse fuerit omnium condimentum? Sacerdos quippe pro laico offert oblationem suam, imponit manum subjecto, reditum sancti Spiritus invocatur, atque ita eum, qui traditus fuerat Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, indicta in populum oratione, altario reconciliatur, nec prius unum membrum restituit sanitati, quam omnia simul membra conflaverint¹. Facile quippe ignoscit filio pater, cum mater pro visceribus suis deprecatur. Si ergo hoc quæm diximus gradu laicus pœnitens restituitur Ecclesiæ, ibique sequitur venia, ubi luctus præcesserat: manifestum est, sacerdotem de gradu suo motum², in eundem locum non posse restitui, quia aut pœnitens sacerdotio carebit, aut in honore persistens, reduci in Ecclesiam non poterit per ordinem pœnitentis. Tu mihi nunc infatuato sale, Ecclesiæ saporem contaminas; tu eum qui projectus foras, jacere deberet in stercore, a cunctis hominibus conculcandus, super altarium reponis! Et ubi erit illud Apostoli præceptum: *Oportet episcopum esse sine crimine, quasi dispensatorem Dei* (Tit. i, 7). Et iterum: *Probet autem se unusquisque et sic accedat* (Cor. ix, 58)? Ubi Dominica denuntiatio est: *Ne miseris margaritas vestras* [Al. miserimus et nostra] *ante porcos* (Matth. vii, 6)? Quod si de omnibus generaliter dictum intelligis, quanto magis de sacerdotibus præcavendum est, cum etiam de laicis sic cavetur. (Al. habeatur)! *Seperamini*, inquit Dominus per Moysen, *a tabernaculis istorum hominum durissimorum, et nolite tangi ab omnibus*³ *quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccato eorum* (Num. xvi, 26). Et rursus in duodecim Prophetis: *Sacrificia eorum tanquam panis luctus; omnes qui manducant ea, contaminabuntur* (Osee ix, 4). Et in Evangelio Dominus: *Lucerna, inquit, corporis est oculus, id est, Ecclesiæ lumen est episcopus. Si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit* (Matth. vi, 22). Sacerdote enim fidem veram prædicante,

¹ Alio sensu nec penitus inutili, vetus editio, *conflaverit*, et paulo post, *consequitur veniam, ubi, etc.*

² Absque de legi in vetustis codicibus Gravius monet.

³ Gravius activa forma mavult *tangere*: textu proque, nedum Latino interprete, consentiente.

A ex omnium corde tenebræ discutiuntur 176 Et causam reddit: *Neque enim lucerna accenditur et ponitur subter modium, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (Matth. v, 15). Hoc est, ideo Deus scientiæ suæ⁴ igniculum in episcopo succendit, ut non sibi tantum luceat, sed omnibus prosit. Et in consequenti: *Si, inquit, oculus tuus nequam fuerit, omne corpus tenebrosum est. Si autem lumen quod in te est, tenebræ sunt; ipse, tenebræ quantæ erunt* (Matth. vi, 23)! Et recte. Nam cum ideo episcopus in Ecclesia constituatur, ut populum coerceat ab errore, quantus erit error in populo, cum errat ipse qui docet [Al. doceat]! Quomodo potest peccata dimittere, qui ipse peccator est? quomodo sanctum sacrilegus faciet? Unde ad me lumen introiet, cum oculus meus cæcus sit? Proh dolor! Antichristi discipulus Ecclesiam Christi gubernat. Et ubi est illud: *Non potestis duobus dominis servire* (Ibid. 24)? Sed et illud, *Quæ communicatio luci ad tenebras? qui consensus Christo ad Belial* (II Cor. vi, 14, 15)? Legimus in veteri Testamento (Levit. xix, xx, xxi): *Homo in quo fuerit macula et vitium, non accedat offerre dona Domino. Et rursus: Sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum, ut sacrificent, mundi sint, ne forte derelinquat eos Dominus. Et in eodem: Et cum accedunt ministrare sancta, non adducant in se delictum, ne moriantur.* Et multa alia, quæ persequi infinitum est, studio [Al. sed studio] brevitatis omitto. Neque enim numerus testimoniorum, sed auctoritas valet. Ex quibus ostenditur, vos per modicum fermentum totam Ecclesiæ massam corrupisse, et de ejus manu hodie Eucharistiam accipere, quem heri quasi idolum despuebatis⁵.

B 6. *Sacrificium in Ecclesiæ. Christus lavacro suo mundavit aquas.* — O. Multa quidem de sacris Voluminibus memoriter copioseque dixisti: sed cum totum circumieris saltum, meis cassibus concluderis [mss. Cluderis vel clauderis]. Sit quippe, ut vis, Arianorum episcopus hostis Christi, sit infatuatum sal, sit lucerna sine igniculo, sit oculussinæ pupilla: nempe eo pervenies, ut salire non possit, qui sal ipse non habeat: non illuminet cæcus, non accendat extinctus. Tu autem cum conditum ab eo cibum devores, curiusulsum arguis conditorem? De igniculo ejus Ecclesia tua lucet, et lucernam ejus 177 criminariæ extinctam? Oculus tibi præbet, et cæcus es? Quamobrem oro te, ut aut sacrificandi ei licentiam tribuas, cujus baptisma probas: aut reprobas ejus baptisma, quem non existimas sacerdotem. Neque enim fieri potest, ut qui in baptismate⁶ sanctus est, sit apud altare peccator. L. Sed ego recipio laicum pœnitentem per manus

⁴ In veteri edit: *Qui in domo sunt. Lucernam enim hoc est, Deus scientiæ suæ igniculum, etc.*

⁵ Victorius maluit, iuxta Brixianos codices, *Quasi idololatram respuebatis.*

⁶ Alias erat *in baptisterio*, quod elegantius altari opponitur.

impositionem, et invocationem Spiritus sancti, sciens ab hæreticis Spiritum sanctum non posse conferri. O. Omnes propositionum vestrarum calles ad unum compitum confluunt, et pavidorum more cervorum, dum vanos pennarum¹ evitatis volatus, fortissimis retibus implicamini. Nam cum in Patre et Filio et Spiritu sancto baptizatus homo, templum Domini fiat, cum veteri æde destructa, novum Trinitatis delubrum ædificetur, quomodo dicis, sine adventu Spiritus sancti apud Arianos peccata posse dimitti? Quomodo antiquis sordibus anima purgatur quæ sanctum non habet Spiritum? Neque enim aqua lavat animam, sed prius ipsa lavatur a Spiritu, ut alios lavare spiritualiter possit Spiritus, inquit Moyses, Domini ferebatur super aquas (Gen. 1. 2.) Ex quo apparet baptisma non esse sine Spiritu sancto, Bethesda² lacus Judææ, nisi per adventum angeli, debilitata corporaliter membra sanare non poterat: et tu mihi aqua simplici, quasi de balneo animam lotam producis? Ipse Dominus noster Jesus Christus, qui non tam mundatus est lavacro, quam in lavacro suo universas aquas mundavit, statim ut caput extulit de fluente, Spiritum sanctum accepit, non quod unquam sine Spiritu sancto fuerit, quippe qui de Spiritu sancto in carne natus est: sed ut illud nobis monstraretur verum esse baptisma, quo Spiritus sanctus adveniat. Igitur si Arianus³ Spiritum sanctum non potest dare, ne baptizare quidem potest quia Ecclesiæ baptisma sine Spiritu sancto nullum est. 178. Tu vero cum baptizatum ab eo recipias, et postea invocas Spiritum sanctum, aut baptizare eum debes, quia sine Spiritu sancto non potuit baptizari: aut si est baptizatus in Spiritu, desine ei invocare Spiritum, quem tunc cum baptizaretur, accepit.

7. Quid ad verum baptisma necessarium? Joannis baptisma quid? Sine Spiritu sancto nullum baptisma Verum et legitimum Ecclesiæ baptisma. — L. Obsecro te, nonne legisti in Actibus apostolorum, eos qui jam a Joanne baptizati fuerant, cum ad interrogationem Apostoli respondissent, se nec auditu quidem comperisse quid esset Spiritus sanctus, postea fuisse Spiritum sanctum consecutos? Unde manifestum est posse aliquem baptizari, et tamen non habere Spiritum sanctum. O. Non tam imperitos divinorum voluminum eos qui audiunt puto, ut ad hanc quæstiunculam dissolvendam longo sermone opus sit. Verum prius quam quid

¹ Nempe funiculis pennæ suspendebantur præter spatium quod retia occupant, ut fera earum volatum quasi periculum evitatura, se in retia conjiceret. Virgil. *Georgic.* de cervis:

Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Pauceque agitant pavidos formidine pennæ.

² Probatica Piscina quam Joan. v, 2, memorat, λεγομένη Ἐβραϊστὶ Βηθεσδα dicta Aebraice Bethesda. Nunc obtinet Bethsaida etiam in Hieronym. *ms.*

³ Nimirum ad eam hæc referuntur quæstionem, qua variis occasionibus disputatum est ab antiquis,

A in eam sententiam loquar, ansculta, juxta sensum tuum, quanta Scripturarum turbatio oriatur. Quid est hoc, quod Joannes in baptismo suo aliis Spiritum sanctum dare non potuit, qui Christo dedit? Et quis est iste Joannes? Vox clamantis in deserto, parate viam Domini: rectas facite semitas Dei nostri (Isa. xi, 3; Matth. iii, 3). Ille qui dicebat: Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccatum mundi (Joan. i, 29); minus dico, ille qui ex matris utero clamabat: Et unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me (Luc. i, 43)? Spiritum sanctum non dedit (Act. viii)? quem Ananias Paulo dedit (Act. ix)? Audacter forsitan videar Joannem præferre cunctis. Audi Dominum loquentem: Non est in natis mulierum major Joanne Baptista (Matth. xi, 11) Nulli enim contigit prophetarum, et annuntiare Christum, et digito demonstrare. Et quid mihi necesse est in talis viri laudibus immorari, cum a Deo Patre etiam angelus nuncupetur? Ecce inquit, mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te (Ibid. 10). Plane angelum, qui post materni ventris hospitium eremi deserta sectatus, parvulus de serpentibus lusit; qui oculis 179 spectantibus Christum, nihil aliud est dignatus aspicere: qui eloquiis Domini, quæ melle et favo dulciora sunt, dignam Deo vocem erudit. Et ne quæstionem morer, sic dicebat crescere Præcursorem Domini. Iste ergo talis tantusque Spiritum sanctum non dedit, quem Cornelius centurio antequam baptizaretur, accepit? Responde, quæso, cur non dederit? ignoras? Audi quid Scripturæ doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam pœnitentiæ baptisma fuit in peccatorum remissionem, id est, in futuram remissionem, qua esset postea per sanctificationem Christi subsecutura. Scriptum est enim: Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans Evangelium pœnitentiæ in remissionem peccatorum (Marc. i, 4). Et post modicum: Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentem peccata sua (Ibid. 5). Ut enim ipse ante Præcursor Domini, sic et baptisma ejus prævium Dominici baptismatis fuit. Qui de terra est aiebat, terrena loquitur; qui de supernis venit, super omnes est (Joan. iii, 31) Et iterum: Ego baptizo vos in aqua, ille baptizabit in spiritu (Matth. iii. 11). Si autem Joannes, ut confessus est ipse, non baptizavit in spiritu, consequenter neque peccata dimisit, quia nulli hominum sine Spiritu sancto

an valida essent quædam sacramenta, ab hæreticis, vel ab iis collata, qui anathemate devincti erant. Monemus itaque non absolute negari abs Hieronymo Arianos baptizare posse, sed morem Ecclesiæ defendi, quæ ab Arianis venientes episcopos recipiebat. Eo sensu etiam S. Augustinus epist. 185, p. 47. ultro fatetur foris ab unitate corporis Christi, Spiritum sanctum non posse haberi.

³ Notatum Victorio alludi Isaia locum c. xi; Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis et in cavernam regui qui ablactatus fuerit, manum suam mittet Quibus homo designatur, cui nihil etiam ab infantia scelerum nocuit,

peccata dimittuntur. Aut si contentiose argumentaris, ideo Joannis baptisma dimisisse peccata, quia de cœlis fuit, edoce quid amplius in Christi baptismo consequamur. Quod peccata dimittit, liberat a gehenna. Quod a gehenna liberat, perfectum est. Perfectum autem baptisma, nisi quod in eruce et in resurrectione Christi est, non potest dici. Ita tu in perversum religiosus¹, dicente ipso Joanne, *Illum oportet crescere, me autem minui* (Joan III, 30); dum servi baptismo plus quam habuit tribuis, Dominicum destruis, cui amplius nihil relinquis. Quorum ista tendit assertio? Videlicet, ut non tibi mirum videatur, si hi qui a Joanne fuerant baptizati, postea per impositionem manus apostolorum, sint Spiritum sanctum consecuti; cum constet eos ne peccatorum quidem sine subsequutura fide remissionem consecutos. Tu vero qui ab Arianis recipis baptizatum, et ei tribuis baptisma, quod perfectum est, quo facto quasi modicum quid ei defuerit, sanctum advocas Spiritum, cum baptisma Christi sine Spiritu sancto **180** nullum sit? Verum longius excessi, et cum æqua fronte adversarii potuerim impetum submovere, leviora eminus [mss. minus] tela direxi. Joannis enim baptisma intantum imperfectum fuit, ut constet postea Christi baptismo baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati. Ita enim historia refert: *Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi et cum Paulus pertransiret superiores partes Asiæ, devenit Ephesum, et cum invenisset quosdam discipulos dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis, cum credidistis? At illi responderunt: Sed nec si Spiritus sanctus sit, audivimus Dixit autem ad eos: In quo ergo baptizati estis? Responderunt in Joannis baptismo. Dixit autem Paulus: Joannes quidem baptizavit baptismum pœnitentiæ plebem dicens in adveniente post eum ut crederent hoc est in Jesum, in remissionem peccatorum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini nostri Jesu Christi. Et cum imposuisset illis manus Paulus, continuo cecidit Spiritus sanctus super eos (Act. xix, 4 seqq.).* Si ergo baptizati sunt vero et legitimo Ecclesiæ baptismo, et ita postea Spiritum sanctum consecuti sunt: et tu apostolorum sequere auctoritatem, et baptiza eos qui Christi non habent baptisma, et poteris invocare Spiritum sanctum.

8 Mos Ecclesiarum in manuum impositione Tra-

¹ Erasm. cum antiquiori edit., *duceris irreligiosus*. Victor., *perverse religiosus*. Hieronymus epist. 44, « Licet in perversum munera vestra conveniunt. »

² Martianæus legerat *ad infantie significationem redire: Dominica*, etc., nullo sensu. Reposuimus quod in aliis obtinebat *die*. pro *redire*.

³ *Ad eos, qui longe*. Sorbonicus codex *qui longe a majoribus urbibus*, etc. MARTIAN. — Cum Grævio et vetustioribus impressi lego. Antea erat, *Qui longe a minoribus urbibus*, serie ipsa orationis renuente. Adhæc urbes tametsi minores episcopo non caruisse ante et post Sardicensem canonem,

A *ditionis auctoritas*. — *L.* Qui dormientes sitiunt, avide fauces fluminibus ingurgitant. Et quanto plus hauserint, tanto plus sitiunt. Ita mihi et tu videris adversus quæstiunculam quam proposui, hinc atque illinc argumenta quæsisse, et nihilominus in eadem quæstionum siti perseverare. An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam et multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos, lactis et mellis prægustare concordiam ad infantie significationem, die Dominico, ² et omni Pentecoste; nec de geniculis adorare, et jejunium solvere, multaque alia scripta non sunt, quæ rationalis sibi observatio vindicavit **181** Ex quo animadvertis nos Ecclesiæ consuetudinem sequi, licet ante advocationem Spiritus constet aliquem baptizatum.

B *9. Episcopus ad impositionem manus accurrit. Arianorum blasphemie. Impositio manuum, quare episcopo reservata? Jus baptizandi ab episcopo.* — *O.* Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe³ a majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat. Sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad hæresim transferas, et virginis tuæ integritatem per meretricum lupanaria patiaris⁴? Episcopus si imponit manum, his imponit qui in recta fide baptizati sunt, qui in Patre, et Filio, et Spiritu sancto tres personas, unam substantiam crediderunt Arianus vero cum aliud nihil crediderit (claudite, quæso, aures qui auditur estis, ne tantæ impietatis vocibus polluamini), nisi in Patre solo vero Deo, et in Jesu Christo Salvatore creatura, et in Spiritu sancto utriusque servo, quomodo Spiritum sanctum ab Ecclesia recipiet, qui necdum remissionem peccatorum consecutus est? Spiritus quippe sanctus, nisi mundam sedem non incolit⁵: nec habitator ejus templi efficitur, quod antistitem non habet, veram fidem. Quod si hoc loco quæris quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi, non

puto: contra villæ, castella, et remotiora ab urbibus loca, quæ inferius indicantur.

⁴ *Lupanaria patiaris* Editis addunt verbum *spurcari*, quod non retinent exemplaria mss. MARTIAN. — Olim erat *spurcari patiaris*, sed prius verbum in mss. non inveniri testis est Martianæus: mihi unicum *patiaris* non placet, ac malim equidem legi *partiaris* ut quomodocumque leges Ecclesiæ ad hæresim transferri, sic virginis integritatem per lupanaria partiri improbet.

⁵ Repono ex antiqua editione *sedem* pro *fidem*: quæ item pro *quod antistitem*, habet *cujus antistes* et deinde *obloqueris* pro *hoc loco quæris*.

accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in A vero baptismo tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotii ¹ quam ad legem necessitatis. Alioqui si ad episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, legendi sunt qui in villulis ², aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati ante dormierunt quam ab episcopis inviserentur. **182** Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet ³ cui si non exors ⁴ quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes. Inde venit ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi. Quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, ita et dare potest; nisi forte eunuchus a Philippo diacono baptizatus, sine Spiritu sancto fuisse credendus est, de quo Scriptura ita loquitur: *Et descenderunt ambo in aquam; et baptizavit eum Philippus* (Act. viii, 38). Et cum abscederent ab aqua: *Spiritus sanctus venit in eunuchum* (Ibid., 39). Si autem illud objiciendum putas, quia, *Cum audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, qui cum venissent ad eos, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum, nondum enim ceciderat super ullum illorum* (Ibid. 14-16). Cur ita factum sit, in consequentibus disce. Ipse enim ait: *Sed solum baptizati* C *erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant illis manus, et accipiebant Spiritum sanctum* (Ibid. 16, 17). Hoc loco si et tu similiter te facere dicis, quia haeretici non baptizaverunt in Spiritu sancto, scias Philippum ab apostolis non fuisse divisum, eandem habuisse Ecclesiam, eundem Dominum Jesum Christum praedicasse: diaconum certe fuisse eorum, qui postea manus imposuerunt. Tu vero cum apud Arianos non Ecclesiam dicas esse, sed synagogam; nec clericos Dei, sed creaturae et idolorum cultores, quomodo in dispari causa eandem asseris rationem te tenere.

10. L. Valenter quidem et fixo gradu me tibi in faciem dimicantem repellis; sed post tergum

¹ Jus consignandi presbyteris non obscure asserit, qui etiam usum aliquando permitti in epistola ad Evangelium indicavit: « Quid enim facit, excepta ordinatione, episcopus quod presbyter non faciat? » Et in Commentariis Ambrosii nomine vulgatis in Ephes. iv: « Apud Aegyptum presbyteri consignant, si praesens non sit episcopus. » Parias habet vetus auctor Quæstionum ex utroque Testam. mixtim inter Augustini opera: atque hic usus etiamnum dicitur apud Græcos obtinere. Innocentius tamen celebri ita ad Decentium epistola: « De consignandis vero infantibus manifestum est ab alio, quam episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet secundi sicut sacerdotes, pontificatus tamen spicem non habent. Hoc autem pontificium

æderis, et nuda a spiculis dorsa non protegis, Esto quippe apud Arianos ne baptisma **183** quidem esse, et ideo Spiritum sanctum ab eis non posse dari, quia necdum remissionem peccatorum acceperint; totum hoc victoriae meae proficit, et argumentorum tuorum palæstra, mihi palman victoriae sudat. Arianus baptisma non habet; et quomodo sacerdotium habet? Laicus apud eos non est, et quomodo episcopus esse potest? Mihi recipere mendicum non licet, tu recipis regem? Vos hosti castra traditis; et a nobis perfuga [Al. profuga] rejiciendus est.

11. O. Si priorum meminisses, jam scires tibi fuisse responsum: sed dum amorem contradicendi sequeris, a quæstionum lineis ecidisti: more quorundam loquacium potius quam facundorum, qui cum disputare nesciant, tamen litigare non desinunt. Ego enim non tam in praesenti Arianos vel improbo, vel defendo, quam illam cursus mei metam circumeo, eadem ratione a nobis episcopum recipi, qua laicus a vobis recipitur. Si erranti concedis veniam, et ego ignosco poenitenti. Si in fide sua baptizato (Al. baptizatum) baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit. Subtilis est hæresis, et ideo simplices animæ facile decipiuntur. Deceptio tam laici quam episcopi communis est. At episcopus errare non potuit. Revera de Platonis et Aristophanis sinu in episcopatum alleguntur (Al. eliguntur). Quotus enim quisque est, qui non apprime in his eruditus sit? Denique ex litteratis quicumque hodie ordinantur, id habent curæ, non quomodo Scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamatorum flosculis mulceant. Accedit ad hoc, quod Ariana hæresis magis cum sapientia sæculi facit, et argumentationum rivos de Aristotelis fontibus mutuatur, Igitur parvulorum inter se certantium ritu, quidquid dixeris, dicam: affirmabis, affirmabo: negabis negabo, Arianus baptizat, ergo episcopus est: non baptizat, tu refuta laicum, et ego non recipio sacerdotem. Sequar te quocunque ieris, aut pariter in luto hæsitabimus, aut pariter expediemur.

12. Solemnis interrogatio in baptismo. — L. Sed laico ideo ignoscendum est, **184** quia Ecclesiam Dei putans, simpliciter accessit, et juxta fidem

D solis debere episcopis, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lestio Actuum apostolorum. » etc. Confer S. Gregor. Mag. I. iv, ep. ad Januar.: Tolet. Concil. I, can. 20, Arausican. fidem 1, can. 11.

² Falso Martianæus, in *teclulis* pro *vilullis*, aut *viculis*.

³ Impressi aliquot, *dignitate ac veneratione consistit*.

⁴ *Cui si non exors*. Mss. codices ita legunt: « *Cui si non hæc sors quaedam et ab hominibus eminens detur potestas,* » etc. Sed videtur hæc sors positum pro *exors*. » quod satis non intelligebant, MARTIAN,

suam credens baptizatus est. *O.* Novam rem asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus. Accedens ad Arianos ¹, in qua fide baptizatus est? Nempe in ea quam habebant Ariani. Aut si jam ipse bene credebatur, et sciens ab hæreticis baptizatus est, erroris veniam non meretur. Verum hoc penitus absurdum est, ut discipulus ad magistrum vadens ante sit artifex quam doceatur; ut modo ab idolorum veneratione conversus, noverit Christum melius quam ille qui doceat. At dicis: Simpliciter in Patre, et Filio, et Spiritu sancto credidit et ideo baptismum consecutus est. Quæ est ista, quæso, simplicitas, nescire quod credas? Simpliciter credidit. Quid credidit? certe aut tria nomina audiens, tres deos credidit, et idololatra effectus est; aut in tribus vocabulis trinominem credens Deum, in Sabellii hæresim incurrit. Aut edoctus ab Arianis, unum esse verum Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum credidit creaturas. Aut extra hæc quid credere potuerit, nescio: nisi forte homo jam eductus in Capitolio, homousion didicerat Trinitatem. Sciebat Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, non natura, sed personis esse divisos. Sciebat et Filii nomen in Patre et Patris nomen in Filio ². Ridicula penitus assertio, ante de fide quempiam disputare, quam credere; ante mysterium scire, quam initiatus sit; aliter de Deo sentire baptizantem, et aliter baptizatum. Præterea cum solemne sit in lavacro post Trinitatis confessionem interrogare. Credis sanctam Ecclesiam ³? credis remissionem peccatorum? Quam Ecclesiam credidisse eum dicis? Ariatorum? sed non habent. Nostram? sed extra hanc baptizatus non potuit eam credere, quam nescivit.

^{13.} *L.* Quoniam ad omnia argumentaris, et emissa a nobis spicula scuto orationis eludis, unam hastam jacias, quæ umbonem tegminis tui, et verba crepitantia, vi sua penetret, nec diutius patiar fortitudinem arte superari. ¹³⁵ Laicus etiam extra Ecclesiam fide baptizatus ⁴, pœnitens recipitur: episcopus vero aut pœnitentiam non agit, et sacerdos est, aut si pœnitentiam egerit, esse episcopus desinit. Quamobrem recte nos laicum et suscipimus pœnitentem; et episcopum, si in sacerdotio perseverare vult, repudiamus. *O.* Sagitta

¹ Contrario sensu vetus editio *Accedens Arianus* id est ab Arianis veniens ad orthodoxos.

² Quod nimirum Pater nequit cogitari, quin Filii cogitatio occurrat. Hilarius, lib. vii de Trinit.: « Quia et nomen Patris habet in se Filii nomen. »

³ *Credis sanctam*, etc. In præpositio hic superflua deleta est in codice Cluniacensi; Sorbonicus eam non legit in consequentibus post *credis in sanctam Ecclesiam*. Sed sive legatur, sive non legatur, idem est sensus. MARTIAN. — Monet Victorius in voculam pluries hic repetitam propterea amovisse, quod emendatiora exemplaria eam non haberent, et rectius, ut est in Symbolo, uni tantum Deo ad exprimendam majorem fidem apponatur.

⁴ Vetustis edit. *extra Ecclesiæ fidem baptizatus* Puta in impressa lectione dici *fideliter*, sive inte-

A quæ contentò nervo dirigitur, difficile vitatur. Ante enim ad eum, ad quem jacta est pervenit, quam obice clipei frustretur. E contrario tuæ propositiones, quia sine ferri acumine mittuntur, hostem non valent perforare. Hanc igitur hastam quam totis viribus misisti, de qua nobis minitaris, uno, ut aiunt, digitulo repellam. Neque enim hoc modo quæritur, an episcopus pœnitens esse non possit, et laicus possit? sed an hæreticus baptismum habeat? qui si, ut constat, baptismum non habet, quomodo potest esse pœnitens, antequam Christianus? Proba mihi ab Arianis venientem laicum habere baptismum, et tunc ei pœnitentiam non negabo. Si vero Christianus non est, si non habuerit sacerdotem qui eum faceret Christianum, quomodo aget pœnitentiam homo, qui necdum credit?

^{14.} *L.* Oro te ut, philosophorum argumentatione deposita, Christiana mecum simplicitate loquaris, si tamen non dialecticos sequaris (*AL.* sequeris). sed pisces. Equumne tibi videtur, ut Arius episcopus sit? *O.* Tu eum episcopum probas, quia ab eo recipis baptismum, et in hoc reprehendus es, quare a nobis parietibus separaris, cum in fide et in Arianorum nobiscum receptione consentias? *L.* Jam et superius rogavi, ut non philosophice, sed Christiane mecum loquaris. *O.* Discere vis, an contendis? *L.* Utique contendo, quia facti tui a te quæro rationem. *O.* Si contendis, jam tibi responsum est. Eadem enim ratione episcopum ab Arianis recipio, qua tu recipis baptismum. Si discere cupis, in meam aciem transgredere. Adversarius enim vincitur, discipulus docetur. ¹³⁶ *L.* Non possum ante esse discipulus, quam magistrum audiam prædicantem. *O.* Quoniam tergiversaris, et sic vis a me doceri, ut adversarium in integro habeas ⁵ tuo animo te docebo. Consentimus in fide, consentimus in hæreticis recipiendis, consentimus etiam in conventu. *L.* Hoc non est docere, sed argumentari. *O.* Quia tu pacem cum scuto petis, et nos olivæ ramum gladio inserimus. *L.* Ea tollo manus, cedo, vicisti. Verum cum arma deponam, sacramenti, in quod me jurare compellis quæro rationem. *O.* Gratulor interim tibi, et Christo Deo meo gratias ago, quia animo bono a falsitate Sardorum ⁶ ad totius orbis te saporem con-

D gra formula; nam infra sub Orthodoxi persona constare dicitur, hæreticos baptismum non habere, eos nempe ex Arianis qui Filii divinitatem in sacramenti verbis inficiarentur.

⁵ Eadem, *adversarium in tergo habeam*, etc.

⁶ *A falsitate Sardorum*. Corruptus est multum hic locus in antea editis libris, qui legunt *a falsitatis ardore*, vel *a falsitatis odore*, etc. Cluniacensis codex puram retinet lectionem, *a falsitate Sardorum*; in qua nempe tenebatur Luciferianus. — Olim erat *a falsitatis ardore*, vel *odore*. Sed neque istud *a falsitate Sardorum*, quod e Cluniacensi ms. Martianeus reposuit, satis puto emendatum; nam ut *Sardorum* nomen *Orbi* elegantissime opponatur, ita *falsitati* inepte respondeat *sapor*. Forte *insultitate* scripserit Hier. pro *falsitate*

tulisti, nec dicis more quorundam : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* (Psal. xi, 4) : quorum vox impia crucem Christi evacuat, Dei Filium subjugat diabolo, et illam complorationem, quæ a Domino de peccatoribus prolata est, nunc de universis hominibus dictam intelligit : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem* (Psal. xxix, 10) ? Sed absit, ut frustra Deus mortuus sit. Alligatus est fortis, et vasa ejus direpta sunt (Marc. iii). Allocutio Patris impleta est : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (Psal. ii, 8), *Apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum* (Psal. xvii, 46). *In sole posuit tabernaculum suum, nec est qui se abscondat a calore ejus* (Psal. xviii, 6). Deo plenus Psalmista canit : *Inimici defecerunt frameæ in finem et civitates eorum destruxisti* (Psal. ix, 7).

15. Et ubi, quæso, isti sunt nimium religiosi, imo nimium profani, qui plures synagogas asserunt esse, quam Ecclesias ? Quomodo destructæ sunt diaboli civitates ; et in fine, hoc est in sæculorum consummatione, idola corruerunt ? Si Ecclesiam ¹ non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est. Et si Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, barbaras nationes, et totum semel ² mundum possidet Satanas : quomodo ad angulum universæ terræ Crucis **187** tropæa collata sunt ? Nimirum adversarius potens concessit Christo Iberam ³ excetram : luridos homines, et inopem provinciam dedignatus est possidere. Quod si de illa quæ in

aut si Latine diceretur, *salsitate*. Sardiniam insulam pestilentis aeris vitio laborare omnes dicunt ; sed et Sardos homines mendaces audire, notum. MARTIAN.

¹ Victorius ex mss. addiderat *per totum orbem diffusam* ; vetus edit. *per totum orbem tantum*, MARTIAN. post Erasmus expunxit.

² Idem Victor simul reposuit *pro semel*.

³ *Iberam excetram*. Hoc loco autem codex Sorbonicus præstat Cluniacensi, et veram germanamque exhibet lectionem, *Hiberam excetram, luridos homines et inopem provinciam*, etc. De Hibera, sive Ibero excetra loquitur quoque Hieronymus in epist. ad Julianum diaconum. MARTIAN. Per convicium *Iberam excetram* dicit, monstrum nempe omnium

manifesta sunt : ut merito fides horum quæ in mysterio est, laudaretur : sed simplicitas mentis et devota Deo suo anima approbata est : *Dicebat enim in corde suo, Si tetigero vestimentum ejus tantum, salva sum* (Matth. ix, 21). Hæc est fides, quam raro inveniri Deus pronuntiavit. Hæc est fides quæ etiam apud eos qui bene credunt, difficile perfecta invenitur, *Fiat tibi*, inquit Deus, *secundum fidem tuam*. Hanc ego vocem audire nolo ⁶. Si enim secundum fidem meam fiat mihi, peribo. Et certe credo in Deum Patrem, credo in Deum Filium, et credo in Deum Spiritum sanctum. Credo in unum Deum, et tamen secundum meam fidem nolo mihi fieri. Sæpe quippe venit inimicus homo, et inter Dominicam messem zizania interserit. Neque hoc dico, quod majus quidquam sit, quam sacramenti fides, quam puritas animæ : sed indubitata ad Deum fides, ardue reperitur. Verbi gratia dictum sit, ut quod volumus perspicuum fiat ; ad orationem assisto ; non orarem, si non crederem, sed si vere crederem, illud cor quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem ⁷, ore pallerem, **188** jacerem ad Domini mei pedes, eosque flectu perfunderem, crine tergerem, hærerem certe trunco crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem. Nunc vero creberrime in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fenore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est fides ? siccine putamus orasse Jonam ? sic tres pueros ? sic Daniele inter leones ? sic certe latronem in cuce ? Et hæc ego exempli causa ad intelligentiam sensus protuli. Cæterum conveniat unusquisque cor suum, et in omni vita inveniet, quam rarum sit fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim qui jejunit, Deo jejunit, aut extendens pauperi manum, Deo fenerat. Vicina sunt vitia virtutibus. Difficile est Deo tantum iudice esse contentum.

D

toterrimum, sive de homine hoc usurpet, ut in epist. 6, ad Julian. sive de regione, ut hic loci, sive de alio quopiam subjecto. Puta dici Sardiniam malorum quotidie excrescentium hydram. Olim erat, *Iberiam et Celtiberos, luridos homines, Æthiopumque provinciam*, etc.

⁴ Monet Victorius fidem pro fiducia hic accipi. sive ardentiori credulitate, quæ spem et charitatem in se contineat, a qua hominem justificari manifestum.

⁵ *Fidem in Israel*. Addit idem codex Sorbonicus vocem *neque*, id est, *neque in Israel*. MARTIAN.

⁶ Vetus edit., *Hanc ego fidem audire volo. Si enim*, etc.

⁷ Eadem addit, *Corde mollescerem*.

te ut mihi omnem causam quare ab Arianis venientes Ecclesia recipiat, non quasi adversario, sed quasi discipulo explices. Nam cum tibi verbo respondere non possim, animo tamen necdum assentior.

17. O. Sub rege Constantio ¹, Eusebio et Hypatio consulibus, nomine unitatis fidei infidelitas ² scripta est, ut nunc agnoscitur. Nam illo tempore, nihil tam pium, nihil tam conveniens servo Dei ³ videbatur, quam unitatem sequi, et a totius mundi communione non scindi. Præsertim cum superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret: *Credimus aiebant, in unum verum Deum ⁴, Patrem omnipotentem.* Hoc etiam nos confitemur. *Credimus in Unigenitum Dei Filium, qui ante omnia sæcula, et ante omne principium natus est ⁵ ex Deo. Natum autem Unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum Scripturas; cujus natiuitatem nullus novit, nisi qui solus eum genuit Pater.* Numquid hic insertum est: *Erat tempus; quando non erat?* vel, *de nullis exstantibus, creatura est Filius Dei ⁶?* Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Et natum aiebant Unigenitum solum, ex solo Patre. Quid est natum? Certe non factum. Nativitas suspicionem auferbat creaturæ. Addebant præterea: *Qui de cælo descendit, conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus a Pontio Pilato, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in cælum ⁶, sedet ad dexteram Dei Patris, venturus iudicare vivos et mortuos.* Sonabant verba pietatem, et inter tanti mella præconii, nemo venenum insertum putabat.

18. *Usiæ nomen quare ablatum. Valens Mursensis episcopus. Scrinia publica Ecclesiarum. Acta Ariminensis synodi.* — De Usiæ vero nomine abjiciendo, verisimilis ratio præbebatur ⁷. *Quia in Scripturis, aiebant non invenitur, et multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri.* Non

¹ Sub rege Constantio, Eusebio, etc. Eusebius et Hypatius fratres fuerunt Faustinae uxoris Juliani. Vide Am. Marcellinum lib. XXI. Consules autem anno Christi 537, id est Constantii 12. MARTIAN.

² Quod hinc sequitur de synodo Ariminensi fragmentum cum veteri ms. S. Germani Parisiensis, aliisque exemplaribus contulit v. cl. Baluzius, et Conciliorum editioni inseruit. Ibi pro *infidelitas* est *incredulitas*; et *quæ quidem nunc infidelitas noscitur.*

³ In ms. penes eundem Baluzium *servis Dei, tum et totius mundi communione absque a præpositione.*

⁴ Idem, *In unum solum verum Deum, etc.*; et paulo infra *Similem genitori suo Filium Patri.*

⁵ Rursus idem *Nisi solus qui eum genuit et mox rectius De nullis extantibus creaturis esse Filium Dei.*

⁶ Isthæc a mortui, ascendit in cælum ex Victorii codicibus et Baluziano exemplari suffecimus. Tum ex eodem et veteri editione *tanti mella præconii* legimus pro *tanta illa præconia*, ut antea obtinebat.

⁷ Rem narrat Sulpitius lib. II, cap. 43: « Usiæ verbum tanquam ambiguum et temere a Patribus

erat curæ episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto. Denique ipso in tempore, cum fraudem fuisse in expositione rumor populi ventilaret, Valens, Mursensis episcopus, qui eam conscripserat, præsentem Tauro prætorii præfecto, qui ex jussu regis synodo aderat, professus est se Arianum non esse, et penitus ab eorum blasphemis abhorrere ⁸. Res secrete gesta opinionem vulgi non exstinxerat. Itaque alia die in Ecclesia, quæ est apud Ariminum, et episcoporum simul et laicorum turbis concurrentibus, Muzonius, episcopus provinciæ Byzacenæ ⁹, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita locutus est: *Ea quæ sunt jactata in publicum ¹⁰, et ad nos usque perlata, aliquem e nobis sanctitati vestræ legere præcipimus, ut quæ sunt mala, et ab auribus et a corde nostro abhorrere ¹¹ debent, omnium una voce damnentur.*

Responsum est ab universis episcopis, *Placet.* Itaque cum Claudius, episcopus provinciæ Piceni, ex præcepto omnium, blasphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpisset, Valens, suas, esse negans, exclamavit et dixit ¹¹: *Si quis negat Christum Dominum, Dei Filium, ante sæcula ex Patre genitum, anathema sit.* Ab universis conclamatum est, *Anathema sit.* — *Si quis negat Filium similem Patri secundum Scripturas, anathema sit.* Omnes responderunt. *Anathema sit.* — *Si quis Filium Dei non dixerit æternum cum Patre, anathema sit.* Ab universis conclamatum est, *Anathema sit.* — *Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cæteræ creaturæ, anathema sit.* Similiter dictum est, *Anathema sit.* —

Si quis dixerit de nullis exstantibus Filium, et non de Deo Patre, anathema sit. Omnes conclamaverunt, *Anathema sit.* — *Si quis dixerit, Erat tempus quando non erat Filius, anathema sit ¹².* In hoc vero cuncti episcopi, et tota simul Ecclesia plausu quodam et tripudio Valentis vocem exceperunt. Quod si quis a nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur. Plenæ sunt certe Ecclesiarum arcæ ¹³, et recens adhuc

usurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis Ariani abolebant, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur, Eadem fides similem Patri Filium fatebatur. Sed interius aderat fraus ut esset similis, non esset æqualis. *

⁸ Vetus cod., *Et ab errore se recessisse. Sed hoc opinionem vulgi non exstinxerat; paulo post, Et laicorum turba concurrans.*

⁹ Turpi errore lectum est hactenus Byzantinæ pro Byzacenæ. Baluzius præterea reponi vult ex antiquo ms. *Primatus ab omnibus deferebatur pro primæ et deferebantur.* Denique vetus edit. voces propter ætatem non agnoscit.

¹⁰ Antea *jactata per publicum.* Tum vetus cod. penes Baluzium *aliquem e vobis pro nobis, et ab auribus cordium nostrorum pro et a corde nostro, etc.*

¹¹ Ita e ms. Baluzius. Editiones aliæ ferunt *Christum Deum.* Mox ex eodem cod., *et addidit suppletur.*

¹² Idem ex illo veteri exemplari sufficit: *Omnes responderunt: anathema sit.*

¹³ Mendose erat *certæ.* Cod. Baluz. *Scripturarum ecclesiasticorum arcæ.* Infra. vetus edit., *Et qui veritatem firment, qui, etc.*

rei memoria est. Supersunt homines qui illi synodo interfuerunt; et quod veritatem firmet, ipsi Ariani hæc ita, ut diximus, gesta non denegant. Cum ergo cuncti Valentem ad cælum laudibus tollerent, et suam in eum suspicionem cum pœnitentia damnarent; idem Claudius qui supra legere cœperat ait: *Adhuc sunt aliqua, quæ subterfugerunt dominum et fratrem meum Valentem, quæ, si vobis videtur, ne quis scrupulus remaneat, in commune damnemus. Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia sæcula; sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat, anathema sit.* Dixerunt cuncti, *Anathema sit*¹. Multaque alia quæ suspiciosa videbantur, ad 191 pronuntiationem Claudii, Valens condemnavit. Quæ si quis plenius discere cupit, in Ariminensis synodi actis reperiet, unde et nos ista libavimus.

19. *Volens et Ursacius. Corpus Domini in Ecclesia. Nicæna synodus propter quid congregata.* — His ita gestis², concilium solvitur. Læti omnes ad provincias revertuntur. Idem enim regi et bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis sibi vinculo necterentur. Sed diu scelera non latent, et cicatrix male obducta, incocto pure, dirumpitur. Cœperunt postea Valens et Ursacius, cæterique nequitiae eorum socii, egregii videlicet Christi sacerdotes palmas suas jactitare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc *usur* nomen abolitum est: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est³. Igitur alii intra suam communionem remanere, alii ad eos confessores qui sub nomine Athanasii exulabant, cœperunt litteras mittere; nonnulli in vitam societatem meliorem desperatione planxerunt. Pauci vero (ut se natura hominum habet) errorem pro consilio defensavere. Periclitabatur navicula apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur: nihil jam supererat spei: Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia (*scil.* Constantius) moritur, tranquillitas rediit. Manifestius dicam. Omnes episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi principis (*scil.* Juliani) ad Ecclesias redeunt. Tunc triumphatorem suum Athanasium Ægyptus excepit: tunc Hilarium de prælio revertentem, Gallia-

rum Ecclesia complexa est; tunc ad reditum Eusebii [*scil.* Vercellensis] vestes lugubres Italia mutavit. Concurrerant episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, constestantes Corpus Domini, et quidquid in Ecclesia sanctum est se nihil mali in 192 sua fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant: parati et subscriptionem pristinam, et omnes Arianorum blasphemias condemnare. Hoc loco interrogo istos nimium religiosos, quid de confessoribus agendum putaverunt? Depositis, inquit, veteribus episcopis, novos ordinasent [*Al.* ordinare]. Tentatum est. Sed quotusquisque bene sibi conscius patitur se deponi? Præsertim cum omnes populi, sacerdotes suos diligentes, pene ad lapides et ad interemptionem deponentium eos convolaverint? Mansissent, aiunt, intra suam communionem. Hoc est dicere, irrationabili crudelitate orbem totum diabolo condonassent [*Al.* condemnassent]. Cur damnassent eos qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obstinatione sua facerent Arianos? Nam cum in synodo Nicæna, quæ propter Arianam perfidiam congregata est, octo episcopos Arianos susceptos sciamus; et episcopus jam in mundo nullus sit, nisi quos synodus illa ordinavit: quomodo potuerunt adversum eam facere⁴, propter quam exsilium sustinuerunt?

20. *Auctores hæreseos Arianæ. Supererant homines qui synodo Nicænæ interfuerant. Quid constitutum in synodo Alexandrina. Lucifer quid fecerit.* — L. An tandem et tunc recepti sunt Ariani? quinam, quæso? O. Eusebius episcopus Nicomediensis, Theognius (*Al.* Theogonius) episcopus Nicænus. Saras tunc presbyter Libyæ. Eusebius episcopus Casareæ Palestinæ, et reliqui, quos enumerare longum est. Ipse quoque caput horum et causa malorum, Arius presbyter, et Euzoius diaconus, qui post Eudoxium⁵ Antiochenus 193 episcopus

¹ In uno ms. *Dixerunt cuncti, et ipse Valens; et cuncti responderunt: Anathema sit.* Mox pro *condemnavit*, scribitur, *clara voce damnavit.*

² Martianeus post Erasmo. *His itaque gestis.*

³ Neque enim ex animo Arianus erat, imo recte sentiens, sed eo quo nolebat, modo intellectus, Arianum se publicari et audire obstupuit.

⁴ Sunt qui memoriæ vitio hic labi Hieronymum velint, cum Arium ipsum in Nicæno concilio susceptum tradit. Nicæna enim synodica epistola post anathema Arianæ sententiæ sociis inflictum, consulto reticere dicit, quem exitum Arius sortitus sit, ne hominis calamitati videatur insultare; quibus verbis exsilii pœnam illi ab imperatore irrogatam indicari liquet. Verum discimus a Sozomeno lib.

D II, cap. 46, Arium ἐπὶ τὴν ἐξορίαν ἀπαγόμενον, sive eo ipso tempore quo in exsilium deportabatur fuisse revocatum. Quin etiam Socrates illum statim ab exilio revocatum tradit, antequam Eusebius ac Theognius libellum pœnitentiæ mitterent. Jam igitur vides quo pacto intelligi et conciliari Hieronymus possit.

⁵ Lectionem Victorii revoco, cujus loco Martianeus cum Erasmo habet, *qui postea sub Theodosio Antiochenus*, etc., et quod minime ferendum est, Victorii industriam plane dissimulat. Certum tamen est falli Erasmus, neque eam fuisse Hieronymi mentem, Theodosium commemorandi; neque ita scripsisse. In hanc rem Socrates, lib. II, cap. 44: « Antiocheni, inquit, cum Eudoxium comperissent,

fuit; et Achilles lector. Hi quippe tres Alexandrinæ Ecclesiæ clerici, auctores hujus hæreseos exstiterunt. *L.* Si quispiam eos neget fuisse susceptos, quomodo revincetur? *O.* Supersunt adhuc homines qui illi synodo interfuerunt. Et si hoc parum est, quia propter temporis antiquitatem rari admodum sunt, et in omni loco testes adesse non possunt, legamus acta et nomina episcoporum synodi Nicænæ; et hos quos supra diximus fuisse susceptos, subscripsisse *homusion*, inter cæteros reperiemus. *L.* Si potes, ostende post synodum Nicænā illos in perfidiam declinasse. *O.* Recte proposuisti, solent enim oculis clausis denegare, qui non credunt factum esse quod nolunt. Sed quomodo postea non declinarunt, propter quos synodus congregata est? quorum epistolæ et libri impietatis ante synodum editi, usque ad præsentem diem durant? Igitur cum illo tempore trecenti et eo amplius episcopi, paucos homines, quos sine damno Ecclesiæ abjicere poterant, susceperint: miror quosdam, et certe Nicænæ fidei sectatores, tantæ durtiæ existere, ut tres confessores¹ de exilio revertentes, non putent, id ob totius orbis salutem necessitate facere debuisse, quod tot et tales viri voluntate fecerunt. Sed, ut dicere cœperamus, post reditum confessorum, in Alexandrina postea synodo constitutum est ut, exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur: non quod episcopi possint esse qui hæretici fuerant; sed quod constaret eos qui reciperentur, hæreticos non fuisse. Assensus est huic sententiæ Occidens: et per tam necessarium concilium (*fort.* consilium), Satanæ faucibus mundus ereptus est. Ventum est ad asperrinum locum, in quo adversum voluntatem et propositum meum, cogor De beato Lucifero², secus quidquam quam et illius meritum, et mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? veritas os reserat, et invitam linguam **194** consciūm ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta

spreta ipsorum Ecclesia, ad Constantinopolitanæ sedis opulentiam transiliisse; Meletium Beroa accitum in sede Antiochena collocant. Hic... consubstantialis doctrinam asserere cœpit. Quæ cum accepisset imperator, eum quidem relegari jussit; Euzoium vero, qui una cum Ario olim depositus fuerat, Antiochensis Ecclesiæ antistitem fecit promoveri. Hac scilicet de causa *post Eudoxium* dixit Hieronymus. Sed ipsum placet Victorium describere.

Euzoium Eudoxio in Antiocheno episcopatu successisse, constat ex Historia tripartita, Socrate scilicet, lib. II, c. 33, 44 et Sozomeno, lib. IV, c. 12. Quæ omnia latius explicat Nicephorus Callistus, lib. IX, c. 48. Hieronymus, qui hæreticos Arianos hic recenset, omittit Meletium, qui illam sedem medius inter utrumque tenuit: catholicus enim erat et ab imperatore Valente inde ejectus, in exilium actus est. Fuit autem uterque horum Arianus, sed Eudoxius Aetianæ etiam factionis. Hic locus antea ab Erasmo corruptus fuit. Legebat enim: *Et Euzoius diaconus, qui postea sub Theodosio Antiochenus episcopus fuit*, quasi Arii tempore,

A rabie luporum; segregatis paucis ovibus, reliquum gregem deseruit. Bonus quidem ipse pastor, sed multum prædam bestiis relinquens. Prætereo illa, quæ quidam ex maledicis, quasi satis firma defendunt; hoc illum amore gloriæ³, et nominis in posteros transmittendi fecisse: necnon et pro similitate, quam adversus Eusebium (*scil.* Vercellensem) propter Antiochenam⁴ dissensionem suscepit. Nihil istorum de tali viro eredo; unum est quod etiam in præsentem constanter⁵ loquar, verbis eum a nobis dissentire, non rebus: si quidem recipiat, qui ab Arianis baptismum consecuti sunt.

21. Hilarius Romanæ Ecclesiæ diaconus. Ecclesia non est quæ non habet sacerdotem. — *L.* Quam longe alia, et ut nunc intelligo, errori magis quam spei proficientia, mihi antea afferebantur! Verum gratias ago Christo Deo, qui in pectus meum veritatis lumen infudit; ne adhuc ore sacrilego, virginem ejus scortum diaboli clamarem. Restat unum, quod quæso te ut edisseras, quid adversus Hilarium dicendum sit, qui ne baptizatos quidem recipiat ab Arianis. *O.* Hilarius cum diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens: neque baptismum sine eucharistia tradere. Et cum jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, qui post se nullum clericum diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotes. Sed omissis paucis homunculis, qui ipsi et laici sunt et episcopi, ausculta quid de omni Ecclesia sentiendum sit. *L.* Tribus, ut aiunt, verbis tam grandem quæstionem dissolvisti, et quidem dum loqueris, videor mihi tecum facere. Si vero obticueris, nescio quid rursus scrupuli nascitur: quare ab hæreticis baptizati suscipiuntur. *O.* Hoc est quod et ego dixi, ausculta quid de omni Ecclesia sentiendum sit. Iste enim, ut ais, scrupulus **195** multos titillat. Et longus fortasse ero in enarrando: verum tanti est lucrum veritatis⁶.

cujus familiaris fuit Euzoius, Theodosius imperator vixerit. Decepit eum alter illius temporis Euzoius, de quo in Catalogo fit mentio: qui catholicus fuit, et Nazianzenus ad eum scribit. Nos, suffragantibus cum historiis, tum exemplaribus, ita emendavimus. Libenter enim solemus, cum quidem licet auctoritatem antiquorum librorum testimonio historiarum confirmare.

¹ Sanctos Athanasium, Hilarium, et Vercellensem Eusebium.

² Addit vetus edit., *Quo corde bono erga Luciferum sum.*

³ Eadem *Hoc illum non Ecclesiæ amore, sed gloria, etc.* Martian., *Hoc illum non amore gloriæ, sed negandi particulam postmodum sustulit in erratorum indiculo.*

⁴ Notum dissidium ex Paulini electione, quam contra conductum, tametsi bono animo, Lucifer fecit, Eusebius improbat.

⁵ Vetus edit., *unum quod etiam in præsentem constat eloquar.*

⁶ Eadem addit, *ut non silcam.*

22. *Arca Noe typus Ecclesiae. Octavus numerus in Psalmis et in Evangelio. Gradus Ecclesiae. Nemo potest ante iudicii diem de hominibus iudicare.* — Arca Noe Ecclesiae typus fuit, dicente Petro apostolo: *In arca Noe pauci, id est octo, animae salvae factae sunt per aquam, quod et nos nunc similis [Al. similiter] formae baptismi salvos facit [Al. faciat] (I Petr. III, 20).* Ut in illa omnium animalium genera: ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt. Ut ibi pardus et hædi, lupus et agni: ita et hic et justi et peccatores, id est, vasa aurea et argentea, cum ligneis et fictilibus commemorantur. Habuit arca nidos suos: habet Ecclesia plurimas mansiones. Octo animae hominum in arca Noe servatae sunt. Et nobis Ecclesiastes (*cap. XI*) jubet dare partes septem, dare partes octo, id est. credere utrique Testamento. Ideo quidam psalmi *pro octava* inscribuntur, et per octonos versus, qui singulis litteris subjecti sunt, in centesimo decimo octavo psalmo justus eruditur. Beatitudines quoque quas Dominus discipulis in monte pronuntians, Ecclesiam delineavit, octo sunt. Et Ezechiel in ædificationem templi, octonarium numerum assumit. Multaque alia in hunc modum per Scripturas significata reperies. Emitteretur itaque de arca corvus, et non redit¹, et postea pacem terræ columba nuntiat. Ita et in baptismo Ecclesiae, tetrico alite expulso, id est diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nuntiat. A tringinta cubitis incipiens, et usque ad unum cubitum paulatim decreseens, arca construitur. Similiter et Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum diaconis, presbyteris, episcopisque finitur. Periclitata est arca in diluvio, periclitatur Ecclesia in mendo. Egressus Noe vineam plantavit, et bibens de ea, inebriatus est: natus quoque in carne Christus, Ecclesiam plantavit, et passus est. Nudatum patrem irrisit major filius, et minor texit, et Deum crucifixum illuserunt Judæi, et honoraverunt Gentiles. Dies me deficiet, si omnia arcae sacramenta cum Ecclesia componens, edisseram. Qui sint inter nos aquilæ, qui columbæ qui leones, **186** qui cervi², qui vermiculi, qui serpentes, quod ad præsens negotium pertinet, breviter expediam. Non solum in Ecclesia morantur oves, nec mundæ tantum aves volitant; sed frumentum in quo seritur, *interque nitentis culta lappæque et tribuli, et steriles do-*

minantur avenæ (ex Virg. I Georg. 134). Quid faciat agricola? Evellat lolium? Sed tota pariter messis evertitur. Quotidie industria rusticana aves sonitu abigit, imaginibus exterret: hinc flagello crepitat, hinc formidines tendit. Attamen aut veloces, capræ, aut lascivus onager incurrit: hinc in effossa horrea mures frumenta comportant, hinc ferventi agmine³ segetem formica populatur. Ita res se habet. Nemo securus agrum possidet. Dormiente patrefamilias, inimicus homo zizaniam superseminavit, ad quam eradicandam cum servi ire proponerent, dominus prohibuit, sibi servans palearum et frumenti discretionem (*Matth. XII*). Hæc sunt vasa iræ et misericordiæ, quæ in domo Dei ab Apostolo prædicantur (*Rom. IX II Tim. II*). Veniet ergo dies quando, thesauro Ecclesiae aperto, proferet Dominus vasa iræ, quibus exeuntibus sancti dicent: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum (I Joan. II, 19)* Nemo potest Christi palmam sibi assumere, nemo ante diem iudicii de hominibus iudicare. Si jam mundata est Ecclesia, quid Domino reservamus? *Est via via quæ videtur esse apud homines recta, novissima autem ejus veniunt in profundum inferni (Prov. XIV, 12).* IN HOC ERRORE iudicii, quæ potest esse certa sententia?

23. *Traditio Ecclesiastica. Hæretici primitivæ Ecclesiae. Hæretici Judæorum. Hæretici in Evangelia.* — Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: et idcirco hæreticorum baptismum reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis episcopum, qui a beato Petro vicesimus secundus⁴ fuit, super hac re Africanam synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum⁵. Quid facimus [Al. faciamus]? ita et nobis majores nostri, et illis sui tradidere majores. Sed quid de posterioribus loquar? Apostolis **187** adhuc apud Judæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur; Galatas ad observationem legis traductos, Apostolus iterum parturit; Corinthios resurrectionem carnis non credentes, pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus, et Menander discipulus ejus. Dei se asseruere virtutes: tunc Basilides⁶

¹ Ex Septuaginta interpretum sensu, οὐκ ἀνέειπεν.

² Erat. Forte typhetharum mendo, servi.

³ In veteri editione est *frequenti agmine*.

⁴ *Vicesimus secundus*. In posteriori Chroniconum libro legimus: Romanæ Ecclesiae episcopatum tenet vicesimus primus Lucius menses 8, post quem vicesimus secundus Stephanus annos 11; extant ad utramque Cypriani epistolæ. Vicesimum tertium alii faciunt. MARTIAN. — Comperitur omnino est inita ratione Stephanum vigesimum secundum locum obtinere post Petrum; quare qui hactenus obtinuit, errorem, quo vigesimus sextus dicebatur, emendare non dubitavi-

mus. Forte Romanis notis scriptum olim fuit XXII, quod scribendi aut legendi festinatione librarius accepit pro xxxvi. Mox pro *direxit* fortasse verius editio, *indixit*.

⁵ Istud ab uno Hieronymo discimus; alibi enim novi hujusce Decreti mentionem fieri nullam invenias; quin et ipsa disputatio inter Donatistas et S. Dionysium tale nihil penitus novit. Pamelius S. Dionysium Alexandrinum testem hujus rei adducit; at cum Bargnio hallucinatur.

⁶ Joannes Damascenus I Parallel. 12: « Cum impius, *inquit*, Basilides evangelistam Joannem aliquando salutasset, ac dixisset: Agnosce nos; nulla interposita mora: Agnosce te, *inquit* vir

summum Deum *Abraxas*, cum trecentis sexaginta quinque editionibus¹ commentatus est: tunc Nicolaus, qui unus de septem diaconis fuit, die noctuque nuptias faciens, obsceno et auditu quoque crubescendos coitus somniavit. Taceo de Judaismi hæreticis, qui ante adventum Christi, legem traditam dissiparunt: quod Dositheus, Samaritanorum princeps, prophetas repudiavit: quod Sadducæi², ex illius radice nascentes, etiam resurrectionem carnis negaverunt: quod Pharizæi, a Judæis divisi propter quasdam observationes superfluas, nomen quoque a dissidio susceperunt: quod Herodiani³ Herodem regem susceperunt pro Christo. Ad eos venio hæreticos, qui Evangelia laniaverunt. Saturninum quemdam, et Ophitas⁴, et Cainæos, et Setthoitas, et Carpocratem, et Cerinthum, et hujus successorem Ebionem⁵, et cæteras pestes, quorum plurimi vivente 198 adhuc Jcane apostolo eruperunt, et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.

24. *Hæreticis concedenda pœnitentia sine baptismo.*

— Quoniam autem talis viri fecimus mentionem, de Apocalypsi quoque ejus approbemus, hæreticis sine baptismo debere pœnitentiam concedi. Angelo Ephesi deserta charitas imputatur. In Angelo Pergamenæ Ecclesiæ, idolothytorum esus, et Ni-

sanctus, primogenitum Satanæ, » Qua in narratione tametsi erraverit, de Joanne et Basilide scribens, quod de Polycarpo et Marcione refert Irenæus, sensit tamen ille, Basilidem apostolicorum temporum hæreticum exstitisse, quod hic loci cura a Hieronymo quoque affirmetur, multi falli eum putant. Certe Firmilianus apud S. Cyprianum epist. 75: « Sed et Valentini, inquit, et Basilidis tempus manifestum est, quod et ipsi post apostolos, et post longam ætatem adversus Ecclesiam Dei sceleratis mendaciis suis rebellaverint. »

¹ Editiones sunt Virtutes, Principes, et Angeli, quos in 365 classes juxta cælorum numerum Basilides distribuebat (cælus enim 365 fingebat esse), sicque appellare illi placuit orbes quos motu diurno sol percurrit. Summus horum deus et princeps erat *Abraxas*, quod nomen eundem numerum suis litteris exhibet. Sed legunt alii *xonibus* pro *editionibus*. Nicolaum porro multi ab hæresi defendunt, cum tamen ansam illi comminiscendæ dedisse Nicolaitis non diffiteantur.

² Origenes in Matthæum cum Sadducæos resurrectionem negare, ipsamque animæ immortalitatem respuere dixisset, subdit, τὸ δὲ αὐτὸ τοῖς Σαδδουκαίοις δόγμα περὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων ψυχῆς, φρονούσι μέχρι τοῦ δεῦρο Σαμαρεί, etc., *Eandem de anima humana sententiam, quam Sadducæi, ad hanc usque diem Samaritani tuentur.* De Pharizæis, quos mox a dissidio nomen suscepisse dicit, notum ex Hebraico, פָּרִישֵׁי quod divisionem significat, esse appellatos.

³ In Commentariis in Matthæum hoc de Herodianis ridicule existimatum dicit a quibusdam Latinorum, puta Tertulliano, Philastrio, aliisque. Ille *de Præscriptionibus* adversus hæretic., cap. 45. « Cum his, inquit, etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt. » Hic hæresi 28: « Alii Herodiani sunt ab Herode rege Judæorum ita appellati..., quem percussus ab angelo, ut Christum sperantes expectant. » Patria habent Epiphanius, hæresi 29, aliique Græci. Facile autem colligitur Herodianorum nomine appellatos tunc ipsius Herodis milites, et cum tributis Cæsari

colaitarum doctrina reprehenditur. Item apud Angelum Thiatyrorum, Jezabel prophetissa, et simulacrorum escæ, et fornicationes increpantur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiam Dominus hortatur: sub comminatione quoque futuræ pœnæ, nisi convertantur. Non autem cogeret pœnitere, si non esset pœnitentibus veniam concessurus. Numquid dixit, rebaptizentur qui in Nicolaitarum fide baptizati sunt? vel imponantur eis manus, qui eo tempore apud Pergamenos crediderunt, qui disciplinam tenebant Balaam? Quin potius, *Age*, inquit, *pœnitentiam: sin autem, ego veniam tibi cito, et pugnabo tecum in rhomphæa oris mei* (Apoc. 11. 16).

25. *S. Cypriani epist. ad Stephanum. Ejusdem ep. ad Jubaian.* — Verum si voluerint hi qui ab Hilario instituti sunt, eæ oves sine pastore esse cœperunt, de Scripturis cæ proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos in epistolis suis reliquit, sciant illum hæc non cum anathemate 199 eorum qui se sequi noluerant, edidisse⁶. Siquidem in communionem eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant: sed hortatum potius fuisse propter Novatum, et alias tunc hæreses multas enascentes, ne quisquam ab eo sine damnatione erroris sui reciperetur. Sermonem denique suum, quem super hac re ad Stephanum pendendis Herodes Antipas præset, ipsos ejus nomine vectigalium coactores quod Hieronymo ipsi in Matthæum placet.

⁴ *Ophitas et Cainæos.* In mss. codicibus *Caldæos* pro *Cainæos*. Vide hæc apud Epiphanium, et alios. MARTIAN. — Victorius *et Gnoitam Carpocratem* legit: pro *Cainæos* vero, sæpe *Chaldæos* invenire est in aliis libris.

⁵ Nullum unquam Ebionem fuisse eruditi nonnulli autumant, quibus placet, hæreticis illis ex paupere de Christo, sententia, Ebionitarium nomen fuisse inditum. Sed ex veteribus nemo est qui neget, multi qui eum affirmant exstitisse. Tertullianus, *de Præscriptionibus* cap. 33; Pacianus, epist. 1; Philastrius, hæresi 37; Hilarius, *de Trinitate*; Theodoritus, Rufinus, Epiphanius, qui insuper in pago Cochabe Bassanitidis regionis habitasse eum tradit hæresi 32, non dissimulata adnominatione paupertatis, quam Hebraice nomen ejus præfert.

⁶ Confer Eusebium lib. 11, c. 3, et Augustinum lib. v *contra Donatistas*, cap. 23, quibus dicitur Stephanus præcepisse quidem ut nihil innovaretur, atque anathema minitatus: minime vero pacem reapse cum Cypriano atque Africanis fregisse, *Contra Firmiliani epistola*: « Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus nos pacem quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutua custodierunt. » Sunt adeo qui Hieronymum erroris arguant. Ego libentius falsi Firmilianum ipsum postularem. Certe Augustinus lib. v *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 25, de Stephano dixit: « Ita quamvis commotus, fraterne tamen, indignarentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur. » Notum præterea, hisce monumentis quanta sit fides adhibenda, ex illo ejusdem Augustini testimonio, epist. 92: « Non desunt qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendunt, sed sub ejus nomine a præsumptoribus, atque mendacibus fuisse conflictum. » Vetus editio: *Sciant illum, non eorum qui se sequi noluerant, sententiam odisse.*

Romanum pontificem habuit, tali fine complevit : **A** « Hæc ad conscientiam tuam, frater charissime, et pro honore communi, et simplici dilectione protulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ et fidei veritate placere, quæ et religiosa pariter et vera sunt. Cæterum scimus quosdam, quod semel imbiberunt, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare ; sed salvo inter collegas pacis et concordie vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re non vim cuiquam facimus, aut legem damus, quin habeat in Ecclesie administratione voluntatis suæ arbitrium liberum : unusquisque sit præpositus, rationem actus sui Domino redditurus. » Ad Jubaianum quoque de hæreticis rebaptizandis scribens, in fine libelli si locutus est : « Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate scripsimus, frater charissime, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod putat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus cum quibus divinam concordiam et Dominicam pacem tenemus, maxime cum Apostolus dicat : *Si quis autem putaverit se contensiosum esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Servatur a nobis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, concordia sacerdotii. »

26. Contra Hilarium E. R. diaconum. — Est præterea aliud quod inferemus, adversum quod ne mutiro quidem audeat Hilarius, Deucalion orbis. Si enim hæretici baptismum non habent, et ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt, ipse quoque Hilarius non est Christianus. In ea quippe **200** Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab hæreticis baptismum recepit. Antequam Ariminensis synodus fieret, antequam Lucifer exsularet, Hilarius Romanæ Ecclesie diaconus ab hæreticis venientes, in eo quod prius acceperant baptismate suscipiebat. Nisi forte tantum Ariani hæretici sunt, et ab his solis baptismum recipere non licet. Diaconus eras, o Hilari, et a Manichæis baptizatos recipiebas¹. Diaconus eras, et Ebionis baptismum comprobabas. Repente postquam exortus est Arius, totus tibi displicere cœpisti. Segregas te cum tuis vernulis, et novum balneum aperis. Si te angelus aliquis, aut aposto-

¹ Vetus editio, et Manichæos recipiebas. Quod intra novum balneum appellatur, Victorius novum baptismum explicat.

² Eadem rectius, ut videtur, in quibus apud Stephanum Romanæ Urbis episcopum, inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Innuit vero Hieronymus epistolam S. Cypriani 72, quæ ad Stephanum papam de concilio inscribitur, simulque aliam, quam Crescens Cirtensis episcopus in Carthaginiensi concilio memorat; sed ad nos usque non devenit. Scilicet in illa multa de Scripturis testimonia contra Stephani de baptismo hæreticorum sententiam afferbantur.

³ Montenses, sive Campitas. E Chronicis Hiero-

lus rebaptizavit, non infringo quod sequeris. Si vero in sinu meo natus, si uberum meorum lacte nutritus, adversum me gladium levas, redde quod dedi, et esto, si potes, aliter Christianus. Meretrix sum, sed tamen mater tua sum. Non servo unius tui castitatem, talis eram quando conceptus es : cum Ario adulteria committo, feci et antea cum Praxea cum Ebione, cum Cerintho, Novato : hos amplexaris, hos in matris tuæ domum jam adulteros recipis. Nescio quid te unus adulter offendat.

27. Hæreticos semper susceptos. — Quod si negandum quispiam putaverit, hæreticos a majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani epistolam, in quibus Stephanum Romanæ Urbis episcopum, et inveteratæ consuetudinis lacerat errorem². Legat et ipsius Hilarii libellos, quos adversum nos de hæreticis rebaptizandis edidit, et ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri, a Julio, Marco, Sylvestro, et cæteris veteribus episcopis similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos : nec tamen sibimet veritatis consuetudinem præjudicare debere, Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosatani discipulis. Et quod his majus est, episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, presbyterii gradum servat. Quæ sententia et Luciferum impugnat, et Hilarium : dum idem et clericus est, et baptizatus.

201 28. In qua Ecclesia permanendum. Conclusio Disputationis et fructus. — Poteram diem istiusmodi eloquio ducere, et omnes propositionum rivulos uno Ecclesie sole siccare. Verum quia jam multum sermocinati sumus, et prolixitas concertationis audientium studia lassavit, brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari : ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas³ : scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur, **202** si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, cum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et Scripturis non in

nymi discimus sectatores Donati *Montenses* appellatos, quod Ecclesiam Romæ in monte habuerint De Campensibus vero et Tharsensibus hæreticis vide supra epistolam primam ad Damasum papam. **MARTIAN.** — Ita Donatistas per convicium vocari autumo, quod in campis aut montibus habitarent ut vox ipsa loquitur. In gestis purgationis Cæciliani Carthaginiensis episcopi a Baluzio editis : « Nundinarius diaconus dixit : Campenses et arenarii fecerunt illum episcopum. » Prima editio et Erasmus legerant *Campates*. Idem vero et Victorius quoque Montenses a Montani hæresi ridicule interpretantur.

legendo consistant, sed in intelligendo¹. Alioqui si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere; ut asseramus in Ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint, et duas tunicas habeant. L. Non solum te vicisse existimes, vicimus utrique, uterque nostrum pal-

am refert: tu mei, et ego erroris. Utinamque mihi sic semper disputare coingat, ut ad meliora proficiens, deseram quod male tenebam. Unum tamen tibi confiteor, quia mores meorum apprime novi, facilius eos vinci posse, quam persuaderi.

¹ Desumpta iisdem verbis ex S. Hilario ad Constantium, lib. II, n. 9, sententia: « Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo: neque

enim in prævaricatione sunt, sed in charitate.» Vide S. Augustinum, epistola 120, ad Consent.; Athanasium, orat. 2 contra Arianos.

203 IN LIBRUM SUBSEQUENTEM ADMONITIO.

Helvidius ex aliquot sacræ Scripturæ testimoniis perperam intellectis, et duorum veterum, Patrum, Tertulliani scilicet et Victorini Petabionensis, auctoritatibus parum perpensis, librum composuerat, in quod illud probare contendebat, Mariam Virginem, postquam Jesum Dei Filium nulla hominis opera, sed Spiritus sancti peperisset, deinde et Joseph marito, communi cæterorum hominum more, filios aliquot genuisse, qui *Fratres Domini* appellantur in Evangelio. Quam insaniam ut fuco rationis aliquo obliniret, novo errore cumulavit: siquidem matrimonio minime præstare virginitatem effutivit, adductisque argumentis, imo mendaciis, probare conatus est. Erat ille, ut videtur, e populo vulgaris homo, rusticanus, et vix primis quoque imbutus litteris, tamque obscuri nominis, ut quanquam Romæ eodem ac Hieronymus tempore diversaretur, nunquam de facie cognitus illi fuerit, qui albus, ut aiunt, aterve esset, ignoraret. Addit Gennadius, Auxentii, qui sedem Mediolanensem invaserat, Arianorum impiissimi, discipulum, et Symmachi, ejus nempe ethnici senatoris qui idololatriam scriptis defenderat, imitatore eum existisse. Sed me illud Gennadii testimonium non una de causa movet et traiectione puto gravissima laborare, Ut quid enim in respondendo, Auxentium Helvidii magistrum Hieronymus præteriret? Symmachum vero, nisi si nocendi animo, atque impietate, qua ratione Helvidius fuisset imitatus, *qui librum neque sermone, neque ratione nitidum*, quin etiam solæcis scatentem ediderit? Rursum si impietatem æmulatur, quo pacto eum dicit Gennadius scripsisse, *Religionis studio*? Non hæc sane rectæ rationi consonant, ut pariter referri ad Helvidium possint.

204 Ejus libello Hieronymus *rogatus a fratribus* demum respondit, cum tamen facere distulisset, *ne respondendo dignus ille fieret qui vinceretur*. Peder igitur collaturus, excerptas singulas hæretici propositiones ex ordine impugnat, Scripturæ locis, atque illo imprimis Matt. I, 18, quo maxime adversarius abutebatur, expositis rite in eum sensum, ut Deiparam Mariam continuo virginem perstisisset, neque edito Salvatore, virum unquam cognovisse, quæ catholicæ Ecclesiæ fides est, manifestissime evincat. Eapropter titulum libro fecit. *De beatæ Mariæ Virginitate perpetua*: qui rursus a Gennadio dicitur in Corbeiensi codice, *egregius et gratus libellus, in quo ostenditur beatissimam Mariam Genitricem Domini nostri Jesu Christi, sicut virginem ante partum, ita virginem permansisse post partum*. Quod veterum spectat auctoritatem, satis habet de Tertulliano dicere, eum Ecclesiæ hominem non fuisse; sed Victorinum Petabionensem ejusdem ac adversarius sententiæ esse, pernegat: tum seriem ait scriptorum infinitam commovere se posse, atque opponere. Denique multa de laude virginitatis edisserit, cujus præstantiam post luculentissime expositum Pauli ad Corinthios testimonium, ex nuptiarum quoque, quæ ob oculos ponit, incommodis extollit. Qua de re cum ad Pammachium post annos decem scriberet, epist. 48, num. 17: « Dum adviveret, inquit, sanctæ memoriæ Damasus, librum contra Helvidium de beatæ Mariæ Virginitate perpetua scripsimus, in quo necesse fuit nobis ad virginitatis beatitudinem prædicandam, multa de molestiis dicere nuptiarum. Num vir egregius, et eruditus in Scripturis, et virgo Ecclesiæ virginis Doctor, aliquid in illo sermone reprehendit? »

Ex hoc testimonio facile etiam colligitur, quo tempore conscriptus sit liber. Nempe exeunte anno 384 ex veterum Martyrologiorum fide Damasus obiit: Hieronymus apud Damasum non ante fidem anni 382 Romæ est diversatus, quemadmodum in epistolarum 19. et 20 chronologicis argumentis probatum est, Biennii autem, quod intercedit, priorem annum sive 383 illi assignandum evincit testimonium hocce alterum ex epist. 22: *Quantas molestias habeant nuptiæ, et quot sollicitudinibus vinciantur, in eo libro quem adversus Helvidium de B. Mariæ perpetua virginitate edidimus, puto breviter expressum*. Pertinet enim illa Epistola, ut suo loco ostendimus, ad anni 384 priorem partem; huncque adeo, quem laudat contra Helvidium librum, jamque ad vulgi manus fuisse indicat, superiori 383 oporteat ascribi.